

SCRIPTA

Numéro Scripta : 2433

Auteur(s) : Hugues de Morville, Coutances (évêque)

Bénéficiaire(s) : Coutances (hôtel-Dieu)

Genre d'acte : charte

Authenticité : non suspect

Datation : 1225, janvier

Lieu d'émission : Coutances

Action juridique : autre

Langue du texte : latin

Analyse

La Confrérie, fondée en 1209 pour le bien de l'Hôtel-Dieu de Coutances, est établie dans toutes les paroisses du diocèse par Hugues de Morville, évêque de Coutances.

Tableau de la tradition

Éditions principales

a. Le Cacheux Paul, *Essai historique sur l'Hôtel-Dieu de Coutances*, l'hôpital-général et les Augustines hospitalières depuis l'origine jusqu'à la Révolution avec cartulaire général, Paris, Picard, 1895-1899, 2 vol., t. 2, n° XLI, p. 33-34.

Texte établi d'après a

Universis Christi fidelibus qui presens scriptum viderint, Hugo, Dei gratia Constanciensis ecclesie minister humilis, et humile capitulum ejusdem ecclesie, salutem in Domino. Cum, divine pietatis intuitu, ad susceptionem pauperum et peregrinorum, hospitale quoddam fecerimus apud Constantias, in honore Sancti Spiritus et Beate Marie et Sancti Anthonii confessoris, considerantes attentius et paucitatem reddituum et pauperum multitudinem, communi assensu constituimus quamdam fraternitatem in singulis parrochiis episcopatus nostri perpetuo duraturam ; volentes et precipientes quod, ad relevandam inopiam predicti hospitalis, et ad sustentationem predictorum pauperum, singulis annis fiat questa in singulis parrochiis, per presbyteros earum parrochiarum, cum omni diligentia et sollicitudine, tribus dominicis ad minus tempore constituto, et per duos parrochianos fideliter conservetur, donec predicti hospitalis nuntio persolvatur, omnibus questis interim cessantibus per totum episcopatum, donec questa hec compleatur ; precipimus etiam et in virtute sancte obedientie firmiter injungimus singulis presbyteris et personis ecclesiasticis, quod, ad mandatum et citationem decanorum suorum, semel in anno, convenient locis et temporibus constitutis, et omnibus decanis precipimus quod presbyteros suos faciant convenire, cum per nuntium hospitalis fuerint requisiti, ut de indulgentiis scilicet et orationibus, que predicto hospitali per nos et alios concessae sunt, plenius instruantur ; nos enim omnibus decanis, presbyteris qui ad hoc convenerint et omnibus illis qui cum ipsis sacerdotibus negotium ejusdem hospitalis verbo et opere sollicite et fideliter procurabunt, de injuncta sibi penitentia decem dies misericorditer relaxamus. Rogamus etiam successores nostros affectu et, ea qua possumus devotione, obsecramus in Domino, ut quod a nobis pie inceptum est pro amore illius qui pietatis auctor est et amator, satagant de die in diem, prout Deus inspiraverit, in melius promovere ; illos autem omnes qui benefecerint eidem hospitali larga Dei benedictio semper et preveniat et sequatur. Amen. Datum anno gratie millesimo ducentesimo vigesimo quarto, mense Januarii, in Capitulo Constantiensi.